DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE HÆMOPTYSI.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JACOBUS FORSTER, A. B. T. C. D.
HIBERNUS,
Reg. Med. Edinenſ. Societ. Soc.
Phyſ. Societ. Soc. Hon.
Chemicae Societ. Soc. Extraord.
Nec non,
Hiſtor. Natural. Societ. Sodalis.

——— Tacitum vivit ſub pectore vulnus.
VIRGIL.

Universiteits Bibliotheek Gent
LIBRARY

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVI.

Viro eximio

RICARDO GORE,

ARMIGERO,

A nobili ſtirpe

Orto,

Studiorum liberalium fautori

Praeclaro,

Qui verae virtutis ſplendorem propria condecorat,

Ob vitae integritatem,

Et animi excelſi munificentiam,

Inſigni :

Nec non,

Conſtanti et fideli amico,

SAMUELLI FORSTER,

ARMIGERO,

Patri ſuo optimo,

Qui a prima pueritia teneram aetatem fovebat,

Morum puritate,

Et egregiis praeceptis,

Eandem monſtrabat viam,

Qua ſibi omnium bonorum laudem

Adeptus eſt,

Exiguum animi haud ingrati teſtimonium,

Haec

Lubentiſſume conſecrat

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

HÆMOPTYSI.

INTER ſeptemdecem ſpecies Haemoptyſeos quas Sauvageſius enumerat, accidentalis et habitualis notari dignae ſolum evadunt; has enim aſſerit, tuſſim et dyſpnoeam, gravamen pectoris ac frigus febrile, ſtipari. Vix operae pretium eſt verba facere de ſpecie nona vel decima; quamvis enim a tuberculo pulmonum ortum ducunt, vera ſymptomata, activam haemorrhagiam deſignantia, deſunt; quamobrem definitionem clariſſimi Culleni amplector, quippe nulla mihi praeſtantior videtur.

A DEFI-

DEFINITIO.

Genarum rubor; moleſtiae aut doloris, et aliquando caloris, in pectore ſenſus; dyſpnoea; titillatio faucium; tuſſis aut tuſſicula ſanguinem floridum, ſaepe ſpumoſum, rejiciens.

HISTORIA MORBI.

Haemoptyſeos initium ſigna ſequentia plus minuſve notabilia comitantur; dum moleſtiae anguſtiaeque ſenſus pectora infeſtat, circa praecordia anxietas et nauſea ſentiuntur, quibus dolor in quadam parte thoracis, tuſſis nunc levis, jam vero gravis et moleſta, cum anhelitu urgent; vox * ſaepe rauca ſtridulanſve evadit, ad quae genarum rubedo, et calor plurimum adauctus, ſymptomata ſuboriuntur.

Membra laſſitudine ac tergum dolore conflictuntur, ſimul his capitis gravedo, cibi, praeſertim

* Coel. Aurel. vox Hirta.

ſertim animalis, nulla appetentia, quin potius faſtidium; alvus compreſſa, cutiſque arida, cum horrore corporis univerſali, premunt; ictus arteriarum, cum frequentia inſolita, pleniores et fortiores micant; ſignis tandem ingraveſcentibus, prurigo aſperam titillat arteriam, quam ſcreatus excipit, et ſanguis, undique ſolicitatus, rutili floridique coloris ore ſpumoſus, ſputum ſtrians, rejicitur, ſalinum ſaporem prae ſe ferens; haemorrhagia paulatim ceſſante, ſymptomata pyrexiae remittuntur, omniaque proſpere evadunt.

Aliquando vero tam pleno rivo prorumpit ſanguis, ut aeger ſuffocationis ſummo diſcrimine verſatur, aut, tempora poſt debita iterato morbo, vires ita proſtrantur, ut epilepſia, ulcuſve pulmonum immedicabile ſuperveniunt. Ineunte vere ſeſe oſtendit, at progrediente aeſtate evaneſcit, et ſigna leniora fiunt. Virilem prae ſexu ſequiore, vegetos adoleſcentes prae ſenectute infirmatos, infeſtare conſueſcit haemoptyſis. Temperamento ſanguineo praediti, quique ex pubertate ad annum triceſimum quintum vitam peragunt, obnoxii praecipue obſervantur; quin citius ſeriuſve, ut corpus ſuum abſolvat incrementum, occurrere poſſit haemoptyſis; qui

prava

prava thoracis conformatione insigniter notati, quibusque in phthisin praedispositio est, hunc in morbum opportunitatem clare manifestant.

DIAGNOSIS.

Quamvis alias haemorrhagias inter et haemoptysin signa, quoad diathesin phlogisticam, seminia, et stadium vitae, communia sint, si ad historiam traditam animum accurate advertamus, symptomata propria secernendo, diagnosin haud indubiam facile instituemus.

Quum sanguis e naso praeruperit, capitis dolor et gravedo vehementior, suffusio faciei magis evidens, prurigo, et narium ipsa effusio epistaxin probe designant.

E faucibus sanguinis distillatio, ratione habita ad partem ubi titillatio persentitur, si pyrexia, dyspnoea, aliaesque pulmonum adfectiones, reputantur, satis superque manifesta sit differentia quae morbos intercedit.

In haemoptysi, pleno flumine, grumosus, nigricans, cum ingestis sanguis per os rejicitur; insuper

inſuper nauſea, vomitionis frequentis deſiderium urgens, et ſenſationes dolorificae in regione ventriculi, ſedem adfectionis dilucide monſtrant; denique, ſaepius haematemeſis foeminis quam viris occurrit. Illis menſes ſuppreſſae, vitaeque conſuetudo prava inerſve, proclivitatem in morbum efficiunt, et diatheſis phlogiſtica hancce aeque ac haemoptyſin pari paſſu raro comitatur.

CAUSAE REMOTAE et OCCASIONALES.

Quaecunque corpore in humano gignunt plethoram, ea haemorrhagiae opportunitatem prebere neminem latet; at pro ratione adfectionis congenitae, et partium ſolidarum ſtatus cujuſdam, alias in aliis ſpectant.

Adoleſcentes pectoris ſingulari fabrica, thorace coarctato, humeris alatis, quique ſcapulis depreſſis, et cervice praeter ſolitum porrecto, efformantur, huncce in morbum aptitudinem produnt. Tubercula et vomicae in culpa ab auctoribus recenſentur; itaque Hoffmannus egregius fatur, cujus verba ſunt: ‘ Viſcus pulmo-

‘ num

'num non amplius eſt integrum, ſed vel vomi-
'cis reſolutionem eludentibus obſidetur, vel vaſa
'polypoſas concretiones recondunt, vel etiam
'varices vel potius aneuriſmata, in canalibus
'praeſto ſunt, quibus crebra et profuſiſſima ſan-
'guinis ſit effuſio, tandem funeſta; dein, addit,
'has enim plerumque in haemoptycis ſubeſſe
'mortis cauſas, edocet cadaverum ſectio,' &c.
Hoff. tom. I. pag. 204.

Acumine ingenii praecocis inſignes, oculorum ſplendore nitido, cutis pellucida * exilitate et candida tenuitate, genarum inſolita venuſtate, ac roſeo amoeno colore erubeſcentes, haemoptyſi obnoxii inveniuntur.

Haemorrhagiae ſolitae ſuppreſſae, ut haemorrhoidum, epiſtaxis, menſiumve eruptio, et omnes evacuationes, ſive natura conſtitutae, ſive arte incitatae; huc ſpectant fonticuli, ſanguinis miſſiones frequenter celebratae, ſed tandem neglectae, plethoram inferendo, haemoptyſi opportunitatem edunt.

Obſtructiones lienis, haepatis, vel aliorum viſcerum, inaequalem diſtributionem pariunt, impetumque ſanguinis aliter augeſcunt, quae omnia in pulmonibus malos oſtendunt effectus; aequi-

* Boerhaav. Aphor. 1198.

aequilibrio enim fluidorum commutato, illud organum, ob fabricam naturalem adcumulationi aptam, maxime afficitur.

Cibus animalis plus aequo ingeſtus, *potationes liquores ſpirituoſi*, utpote copiam humorum circuitumque ſanguinis plurimum augeſcentes, inter cauſas occaſionales jure enumerantur.

Calor externus, quantum poteſtate valet calor ſtimulanti, ſolidarum partium viſque vitalis actionem percitando, omnes fere animadvertere; aſt ea corporis humani natura eſt, quod mutationes magnas, eaſdemque ſubito illatas, ſalva valetudine, ſubire recuſat; hinc facile conſpiciuntur noxae metuendae, quum aliquis nimis calefactus in temperiem frigidam extemplo tranſeat. Igitur relatio ad corporis conditionem ante mutationem factam ſemper haberetur; quin numeris abſolutis affirmare parum decet. Quamvis coetu frequenti haemoptyſin aliquando occurrentem cernere fuit, in culpa ſolus neutiquam calor ſtetit; aliquo enim nocivo inter reſpirandum rejecto, atmoſphaeram ambientem elatere, et aliis dotibus ſalutiferis, ſpoliat; ideoque fibrae arteriarum laxantur, et congeſtione neceſſario illata, dein, niſu reſpirandi violento, aut aëre frigido repente admiſſo, cauſam ſanguinis eruptionis

tionis ſubminiſtrant. Quin obſervatione prorſus haud indigna videtur, ut aër calidus, quamvis improviſo adventans, neutiquam nocivos recte edat effectus fluida noſtra dilatando, ſin contra, omnia mala hinc oriunda, ſolidis corporum immediate affectis tribuenda ſunt.

Quidam, pondus atmoſphaerae inſigniter imminutum maxume conferre haemoptyſin ad excitandum, diu exiſtumabant; caeterum experimenta ab aëronautis nuperrime facta demonſtrant, iis quod reſpirare inter nubila impune conceditur, qui ardore indagationis accenſi, animique robore praeſtantes, regiones excelſas viſitare haud pertimeſcebant.

Qui ſocordiae vitae ſedentariae, et appetitus pravae indulgentiae dediti, morbo proclivitatem multa incommoda ſecum adferentem ſuppeditant. Solicitudo, moeſtitia, animique pathemata ſedantia, ſenſorii energiam et ſanguinis circuitum debilitando, hyſteriam et varias adfectiones generis nervoſi pariunt; praeterea, tali corporis conditione irritabilitas multum aucta conſtrictiones ſpaſmodicas prona excitare evadit.

Denique, niſus omnes violenti, collis aſcenſus, et conatus onera gravia adtollenda, haemorrhagias

rhagias movent. Exhalationes e plumbo, mercurio, aliiſque metallorum ingratae, et malo cum eventu pulmonibus offeruntur; atmoſphaera nicotianae, et plantarum vaporibus inquinata, quibus principium ſpiritui nullatenus amicum ineſt, genus nervoſum et fibras muſculares prave irritat.

Qui deſidia capti cubiculis nimis calefactis, aut venere immodica, indulgent, poteſtatibus nocivis ſeſe obnoxios reddunt; anne paralyſis in cauſa haemoptyſios unquam reprehendatur?

Quidam, membro amiſſo, vel etiam adverſus frigidum ventum equitantes, haemoptyſi correpti referuntur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Moleſtiae anguſtiaeque in pectore ſenſus, aeque ac anxietatis, ob ſanguinis tranſitum difficilem per vaſa pulmonum, ſymptomata ſuboriuntur: Doloris ſenſationem explicatam volumus a congeſtione loci propria, et ſpaſmodica affectione illatis; nam conſtrictio inflammatoria, fluidis

impellentibus reſiſtentiam facit; hinc, fibris muſcularibus et nervoſis violenter diſtenſis, dolore gravantur aegri.

Capitis gravedo, genarum ſuffuſio, horror univerſalis, et alia pyrexiae ſigna, diatheſis phlogiſticae vehementiam, ac humorum copiam nimiam, clare indicant. *Prava conformatio;* quam valde lateque patent primogenita feminia, parentibus ad nepotes dona funeſta tranſmiſſa, comprobantur obſervantia quorundam morborum, inter quos ſcrophula, podagra, ac epilepſia conſpicuae ſunt; hicce vir vigoris praeſtans virtute occurrere morbis diu viget, dum iſte a tenera aetate languens, ob conſtitutionem haereditariam vitam miſeram degit, aut inſtante debilitate fato ſuccumbit; igitur jure concludamus, pravam conformationem pectore inſitam, pulmones muneribus reſpirandi impares efficiendo, haemoptyſi, et ejus infauſtis ſequelis, praediſpoſitionem ſuppeditare. *Vegetos adoleſcentes prae ſenectute infirmatos adoriuntur haemorrhgiae;* quare certum ad vitae ſtadium haemorrhagíae ſuas praecipue exercent vires, ſecundum egregium Cullenum explicatum volumus; nulla enim theoria ſibimet famam praeſtantiorem merito vindicat. Cerebrum prae caeteris partibus ſuum abſolvit incrementum; ſub initio vitae

ſanguinis

ſanguinis copia major ad ſuperiora derivatur; ſique animum accurate advertamus, patet, ita alma rerum parens inſtituerat, ut ſuam quamprimum caput attingeret acmen, at vaſa denſitate augeſcunt; tumque ulteriori amplitudini vel diſtentioni renixus evadit; ſi vero partium fabrica parum idonea ſit, plethora morbida et epiſtaxis ſuboriuntur. Quin cerebro evoluto, novam determinationem pubertate ineunte obſervamus; tunc enim aequilibrium pulmones inter et aortae ſyſtema occurrit; ſi vero thoracis prava conformatio adſit, ſanguinis diſtributio inaequalis pectore prae caeteris partibus citius perſentietur.

CAUSA PROXIMA.

Congeſtio humorum ad pulmones, vaſorumque actio plurimum aucta, ſanguinis eruptionem explicare optime exiſtimantur; nam, progrediente adcumulatione, ſigna pyrexiae ingruunt, ac, niſi congeſtio dimovetur, ſenſus reſiſtentiae, et niſus virium medicatricium accedunt; hancce repugnantiam ſpaſmus univerſalis in ſuperficie excipiens, vaſorum actionem ſtimulat, unde contractio

tractio crebrior, et pro re nata validior ſubſequitur; ſin hi conatus ſint parum efficaces congeſtionem ad tollendam, perſtante ſpaſmo, vaſa anaſtomoſi dilatata, ſive ruptura, ſanguinem profundunt.

PROGNOSIS.

Natura corporis humani ſub morbo laborantis, adhuc obſcuris ita involuta ſit, quod omne praeſagium ſumma cum cautela ut proferatur nos oportet. Raro occurrit haemoptyſis periculo carens; quum vero cauſae excitantes et praediſponentes, ut menſium haemorrhoidumve ſuppreſſio, magis quam ſeminia, ut aliae potentiae nocivae, pro vitio ponendae ſint; ſanguinis ſputo perfecto, ſpirandi difficultate, tuſſi, et moleſtiae in pectore ſenſu ceſſantibus, equidem ſalutis haud intemerata ſpes eſt. E contra, haemorrhagia parvum poſt intervallum redeunte, ubi labes phthiſica *, ex parentibus

* Sauvag. tom. II. pag. 289. Haemoptyſi uberiori vires proſternuntur, pallor et macies invadunt, tuſſis perſeverat; et ſi parentes phthiſi fuerint ab anno 18 ad 36. ipſe haemoptycus in phthiſim delabitur.

tibus prave ducta, tussisque vehemens tubercula innotescunt, multum pertimescendum est, quod morte sola suos fines absolvet morbus. Plura de praesagio adjicere recusant vires, quin opus sit animi sagacis, et ab experientia edocti, rei tam obscurae effundere lumen.

Methodus Medendi tria amplectitur consilia: 1mo, Causas excitantes tollere, et remotas evitare. A consuetudine vitae inertis indulgentia, liquore spirituoso, cibo animali, et omnibus quae ingesta magis quam excreta augescunt, aegri abstinerent; exercitationes violentae, nisus subitanei, et mentis perturbationes vehementes, evitanda sunt; praeterea, quaeque sanguinis circuitum et tonum ventriculi conturbando infirmant, praecavere oportet. Qui socordia obdormiscunt praeter solitum cubiculis nimis calefactis, ut stragulis quam paucis obtegerentur, ac aëre circumambiente temperiem intra quinquaginta quinque et sexaginta gradus quatuor servante ex usu erit; nec vela circa lecta obtendi, quin omnia, halitus impuri caloriscque adcumulationem efficientia, sedule dimoveri suadeamus. Varios animi affectus inordinatos, aeque ac solicitudinem et moestitiam, consortio amicorum et sermone delectabili, in morbo opportunis

nis compeſcere, placide tentandum eſt; illi enim circuitum inique cum damno percitant, dum hae vim vitalem et poteſtates corporis gradatim imminuunt.

CONSILIUM SECUNDUM.

Auctо ſanguinis impetui occurrere, et fluxum coercere. Ad hocce conſilium ſpectat adminiſtratio antiphlogiſtica, aliaque nimium tonum vaſorum efficaciter tollentia; venaeſectio primas tenet; quum ſymptomata febrilia inſtant, et pulſus frequentior, plenior, et fortior, cum dolore et dyſpnoea denotant pyrexiae vehementiam, ad ſanguinis detractionem ſtatim confugiendum eſt, ac pleno rivo educere praeſtat; ita enim tono et tenſione arteriarum ſublatis, relaxatio hinc oriunda aegrotum e periculo imminente fauſte eripit, magiſque ex ſubitanea detractione, quam ex copia ſperare eſt; ſi enim nimia ſit, morbo redintegrante, ne iterum repetatur cum fructu obſtat; igitur prudentis eſt, ad levamen tantum affectionum urgentium effuſionem accommodare,

dare, aliter infirmando, vires pulmonum imminutas iri ; tum congeſtione ſaepe ſaepius reduce, et ſanguinis miſſione iterum celebrata, leucoplegmatias aut phthiſis formidoloſa ſubſequitur.

Nam haeret lateri lethalis arundo.

Cathartica.—Alvum ſemper ſolutam ſervare ſublevat commode ; cathartica acriora vaſa exhalantia, et veſiculas mucoſas ubique inteſtinorum, ſtimulant, unde copia humorum abundans profunditur ; ſed tarda eſt depletio, et exinanitio ut plurimum feroſa ; hinc purgantia fortiora vi irritante nocent ; at fauſtiore cum ſucceſſu laxantia mitia adminiſtrentur, ſales medii, ut tartarum vitriolatum, ſal Rupellenſis, &c. &c. Dr Alſton, ſalem Glauberi parva doſi cum ſymptomatum inſigni levamento praeſcribit, ac ſummis laudibus effert ; et ejus obſervationes a Culleno praeclari nominis ſanciuntur, quod ut utile medicamentum in haemoptyſi utiliter adhibeatur ; inſuper dotes diaphoreticae ſalium mediorum, qua fluida ad ſuperficiem eliciunt, palmam ex caterva fortiorum purgantium longe lateque praeripiunt : Forſan operae pretium ſit obiter olei ricini, ſulphuris florum, et fructus tamarindorum mentionem facere ; praeterea enematibus emollientibus alvus duceretur, ſin pertinaciter

pertinaciter conſtipata ſit, ad eadem e ſalibus neutris deprompta confugiamus; aſt medico curae ſit, ne iſta praeſcribat quae tuſſim excitent.

Emetica, quantum humores ad ſuperficiem eliciendo, ſpaſmum tollendo pollent, ob conſenſum ventriculum inter et vaſa extrema, facile colligatur; illius enim actionem percitando, haecce ſtimulant, et diaphoreſin leniter tuteque educunt. Quum crudis ingeſtis ventriculus gravatur, et ſenſu ingrato diſtenditur, emetica, plenam ad uſque vomitionem, male concocta aegroto moleſtiam cientia, per os rejiciunt; emeticorum actione viſcera abdominalia agitata ſecretiones copia uberiori effundunt, ſanguiniſque circuitu ex aequo accelerato, ſpaſmodicae affectiones ubique corporis relaxantur; ab illis ſtimulatum, organum in bilis ſubminiſtrationem fabrica ſpeciali inſtructum, propriae ejus materiae plus ſecernitur, et bronchiorum imis ex receſſibus libera excretio humoris mucoſi ab emeticorum actione efficaciter promovetur. Haud abs re alienum erit nunc obſervare, quod obſtructiones aliis in viſceribus vomitionem ſaepe cedunt; nec non muliebria incommoda a ſuppreſſione menſium. Igitur emetica haud immerito commendantur in morbis, pro cauſa congeſtionem thoracis agnoſcentibus. Quum

apud

apud regium nosocomium Cullenus egregius aegris interfuit, sex aegrotis sub haemoptysi laborantibus ea praescripsit, ad plenam vomitionem optimo cum fructu; ast alteri aegro, qui eadem tentaverat, discrimen suffocationis statim insequi candore sibi proprio fassus est: At medicus animi prudentis secum cogitet mortalium de diversa natura, et variis mutationibus quas vires subire valeant; caeterum levamentum ex iis saepius non petendum est; nam ex iterata illorum operatione, tono ventriculi debilitato, e necessario ejus nexum imperiumque cum vasis extremis deperdunt; quinam ex vitro antimonii cerato auxilium petere suadent. Exiguae doses ipecacoanhae vel tartari emetici, ut nauseam cieant, quoniam sanguinem superficiei et diaphoresin eliciunt, commode adhibitae sint.

Epispastica vi antispasmodica, qua diathesin phlogisticam tollunt, et circuitui nimis celerato occurrunt, ab experientia virum clarorum multum comprobantur; in adfectionibus pulmonum inflammatoriis cum singulari efficacia tensionem arteriarum laxant, quandoque venaesectio antea celebrata fuit, vesicatoria, ob potestates stimulantes, nunquam pertimescenda sunt. Carolus de Mertins tria exempla enumerat haemoptyseos validissimae

lidiſſimae veſicatoriis ſanatae ; cujus verba ſunt : ‘ Virgo viginti et duos annos nata haemoptyſi ‘ correpta, cochleare integrum, et quandoque ‘ plus, ſanguinis floridi ſaepiſſime prima die ‘ exſpuit, adeo ut partitis vicibus, nyctheméri ‘ ſpatio ſex circiter uncias, per os rejecerat ; ‘ venae ſectionibus tam crebris, et ſputo ſanguinis copiae adeo debilis facta erat, ut timendum eſſet, ne, protracta haemoptyſi, cito animam efflaret, largum emplaſtrum veſicatorium ‘ inter ſcapulas apponi ſuadebam ; elapſis quatuor horis, emplaſtri irritationem ſentire coepit, ‘ et ab hac eadem hora haemoptyſis ceſſavit ; ‘ in aliis exemplis curam optatam efficiebant.’ *Vid. T.* 1. *obſervat.* 6. *de Mert. pag.* 199. Hinc dilucide patet quanti profutura ſint veſicatoria, ob nexum corporis varias functiones inter et cerebrum, quoniam morbis inflammatoriis hujus vis nimis intenditur, ſpaſmum et renixus vehementiam fauſte compeſcunt ; ſique venaeſectione et diluentibus, pro re nata, praecavemus, prout ſtimuli nocivi nunquam reputanda ſunt ; ſatis ampla applicentur parti affectae quamprope, iterum iterumque largiora admoveantur, ſymptomatum graviorum uſque ad levamen ; talibus enim auxiliis, conditionem haemorrhagicam

morrhagicam debellatam iri, ſperandum eſt: Oleo veſicatoria inungantur, ſive tenui linteo interpoſito, aliter quum ſublata, dilaceratione aeger miſere torquetur, et aër ad ſuperficiem latiorem admiſſus inflammationem excitans, inter ſanandum tempus diuturnum inepte conſumitur.

Refrigerantium inter copiam, ſales medii et acida praecipue in uſum vocantur; circuitui nimis accelerato, alvoque conſtipatae occurrunt, et perſpirationem mitem excitant. Nitri fama ſpectata, aliis longe eminet; quin, ſi forte tuſſim moveat, ad ſimilia e vitriolico, vegetabili vel acido marino, alcalinis conjunctis decurramus.

Acida commode adhibita magnopere proſunt; vitriolicum eximiis mactum dotibus adhuc famam praeſtantiorem ſibimet vindicat; aſt veriſimile marinum ſit nulli ſecundum; ſuccus limonum nec non pomi vulgaris commemoratu haud indignus videtur. Aquae frigidae potiones Hoffmannus plurimum commendat; at, corpore aeſtuante, haud uſurpatae forent, ne cujuſdam viſceris inflammatio ſubſequatur.

Aſtringentia interne adhibita haemorrhagiae vehementiam ſaepe ſublevant. E regno vegetabili, gum kino, larga doſe ſumpto, vel injecto, uteri

uteri fluxus immodicus fauſte ſubſtiterat, atteſtante Dr Young. Cortex Peruvianus tonicis dotibus dyſpnoeam auget; omni enim vigorem corporis vimque nervoſam percitanti, niſi perſpiratione ex aequo promota, nocet. Quidam cogitant pulverem ſtypticum in uſum, fructu cum deſiderato, ſaepe vocari. Quin alumen cum fiducia adminiſtretur, utpote efficax, tutum, ſemperque remedium innoxium.

Adſtringentia foſſilia, uti chalybeata, propoſito noſtro, diatheſin phlogiſtica nimis augendo, improſpere reſpondent. Praeparata e plumbo, ob poteſtates nocivas, niſi anodyno conjuncto, caute adhibere oportet; talis vero auxilii, copia modica uſurpati, fautores non deſunt. Caeteris adſtringentibus externis aqua gelida longe praeſtat; et, perſtante haemorrhagia, lintea madefacta in aqua frigidiſſima, qua ſal medius aut alumen ſolvitur, ut poplitibus applicentur commendamus; et prius e novo redintegrare curae ſit, quam calefacta evadunt; quandoque enim adjumenta ſecum adferunt optima. Nec frigidae lavationis eximias virtutes ſilentio praeteribo, quamvis adhuc non ſatis exploratas. Nunc inter eruditos controverſia acris de effectibus ejus varie movetur; ſed, litibus omiſſis, vis ſedativae

cum

cum adſtringente conjunctae frigus potiri aſſere-re fas eſt; quoniamque in variolis, febri ſynocha ſaeviente, motus corporis conturbatos intenſe frigeſcens, et diu adhibitus aër externus com-peſcere obſervatur, ſpes non abſurda foret, quod aliquo ſub haemorrhagia validiſſima laborante, in balneo frigido, per tempora debita immerſo, donec vaſorum immodica actio ſubacta eſſet, ſanitate optima fruenti hinc evaderet. Sauva-geſius de haemorrhagia plethorica ſic ſcribit, cujus verba ſunt: ‘ Adoleſcentem novi, qui ‘ aeſtate ob inſolationem haemorrhagia correp-‘ tus, ſe demiſit in flumen, et haemorrhagiam ‘ illico ſanavit.’ Fatendum eſt, de haemorrhagia paſſiva hic loquitur; aſt, ni fallor, ſigna activae aliter rem deſignant. En verba ejus: ‘ Hanc prae-‘ cedunt capiplenium, ſtupor, cephalalgia, verti-‘ go, quae ſanguine fluente ſublevantur; deinde, ‘ ſi copioſior ſit haemorrhagia, ea venaeſectione, ‘ refrigerantibus, acidis intus ſumptis, extuſque ‘ applicatis, demum aſtringentibus ſuperius re-‘ cenſitis, ſanatur.’ Praeterea, terrore invadente, haemorrhagia haud raro profligata fuit. Tunc veriſimile eſt immerſionis concuſſu balneum geli-diſſimum eoſdem praeſtaret effectus, quin, donec pluribus experimentis haud indubiis confirma-

tur,

tur, theoriae ex toto aſſentire juvenem parum decet; aſt Indagine accurata et Tentatione fideli res admodum digna videtur.

Opii effectus decantatos quomodo narrabo? Vis ſtimulantis aeque ac antiſpaſmodicae opium potiri multi credunt; hinc conſtrictiones ſpaſmodicas ſolvit, cutiſque excretiones fauſte promovet; ſive vero principio narcotico recte, ſive excitanti, corporis vires renitentes indirecte iri debellatas, adhuc inter claros acriter certatum eſt. Caeterum, modica quantitate ſumpta, uti vinum aut liquor ſpirituoſus exhilarat; majore vero copia, tonum ventriculi uſque ad vomitionem infirmat. In Hyſteria, Chorea, ac variis adfectionibus ſpaſmodicis, ubi ex imminuta cerebri energia poteſtates nervoſae, quibuſdam in functionibus, munera ſua ad explenda imbecilliter ſolicitantur, Opium fortiter excitando ſummum auxilium ſecum adfert. Vigilanti ſomnum, metuenti Fiduciam, ac dolore cruciatis Requiem conciliat; triſtes curarum obliviſci ſuaviter edocet, laboribus defeſſos, vires reficiendo, novos ad ſuſtinendos labores pares reddit. Quum diatheſis phlogiſtica tollitur, quietem parit, atque, diaphoreſi promota, morbi reditui occurrit.

CONSI-

CONSILIUM TERTIUM.

Determinationi verſus Pulmones obviam ire, ac fluida ad ſuperficiem elicere; imprimis, variis exercitiis; Equitatio*, ſi modica, perſpirationem univerſalem excitando, plethoram et ejus malas ſequelas, optime praevenit; inſuper, animo inter equitandum exhilarato, moeſtitia et ſolicitudo depelluntur. Navigationem magnopere ejus commendant fautores, quippe diaphoreſin mitem aequabilemquepromovet, ac veriſimile eſt, nauſeam inferendo, tales praeſtat effectus. Ab Antiquis multum laudata 'fuit navigatio, ad 'Ægypti regiones tranſibant, coelum non cauſa 'mutandi, ſed longinquitatem propter naviga-'tionis,' (narrat Plinius). Quum frigus intenſum exercitationibus ſub dio parum amicum evadit, ad geſtationem rhedae decurramus; ſin haec noſtro propoſito non bene reſpondent, ineunte hyeme, aeger calidas regiones coelo temperato felices peteret, donec circuitus in aequilibrium reſti-

* Sydenhamus ac Baglivius Equitationis inſignes ſunt fautores.

reſtituatur; quin vitae ante pubertatem in conſuetudine ſequenti fiduciam poneremus; ubi enim prava thoracis conformatio ſeſe manifeſtat, balneo frigido, ac exercitiis omnis generis debilitati pulmonum congenitae, occurrere ſtudeamus; quoniamque in conſtitutione ſcrophuloſa morbum tam ſaepe aſpicere eſt, tonum ſolidarum partium adauge ndo, naturae deficienti remediorum ſubſidio ſuccurramus. Induſio laneo corpus obtegere, ac extremitates calidas ſervare, ſemper curae ſit.

FINIS.

Med Hist
W4
E23
1786
F. 2